Quelle: https://manuscripta.at/?ID=31258
Copyright: CC BY 4.0 <img src="https://manuscripta.at/styles/icon_cc_by.png"> Kontakt: Stift Stams   <img src="https://manuscripta.at/styles/universitaets-landesbibliothek-tirol.png" height="48">   <img src="https://manuscripta.at/styles/BMKOES_Logo.svg" height="48">   <img src="https://manuscripta.at/styles/EUnion_POS1.jpg" height="48">

ai circumstanciis aggrauantibus accusando / et ista est Sacra-
mentalis quam sequitur absolucio et est pars penitencie Et
ad illam confessionem ex iure posito originaliter ex diuino
precepto obligamur / primarie a xpo instituta et precepta
ubi Johannis dixit Quorum remiseritis peccata etc / tunc enim
disciplis et eorum successoribus dedit potestatem dimittendi
peccata Ex collacione eciam arbitraria facta sacerdotibus / tenentur
peccatores ad accusandum se eis tamquam arbitris Et hoc est
confessio sine confiteri Obligamur eciam ad confessionem ex
institucione ecclesie Omnis utriusque sexus etc Cuius institucionis
omnis triplex fuit causa: Prima ut homines cognoscerent
se peccatores / quia omnes peccauerunt et egent etc Secunda
fuit reuerencia sacre communionis Tercia ut eciam rectoribus
subditi sui innotescant / ne heretici sub pelle innocencie
se abscondant Et licet contricio aliquando ante actualem confessionem
delet peccata / tamen tenemur adhuc ad confessionem ex duplici
mandato / diuino scilicet et ecclesiastico / igitur non omittenda
Quintus in confessione sic erubescencia peccatorum dicit
Crotus Cur erubescis confiteri peccata tua peccator Elige
quod uis Si non confessus lateas inconfessus dampnaberis
Ad hoc exigit dominus confessionem ut liberet hominem humilem /
Ad hoc dampnat non confitentem / ut dampnat superbum
Non enim propter erubescenciam est quorumcumque peccatorum confessio
dimittenda / sed voluntarie et integre facienda / quia
valet homini ad magnum meritum / cuius transgressio con-
fessionis est grande peccatum **Ad quid valet confessio**
Valet et ad hoc ut si dolor contricionis penitencie non fuisset
sufficiens disposicio ad contricionem / tunc confessio et presbyteri
absolucio super adiuncta supplerent eius defectum / dummodo
tamen penitens non ponit obicem per commissionem actualis
peccati mortalis Quarto ualet ad hoc quod ipsa adiuncta
sibi absolucione / tollit et penam peccatis debitam / a qua
duplici scilicet eterna et temporali / potest se homo in presenti totaliter